

**De Junipero Sabina. Dissertatio inauguralis medica ... / Opponentibus: E. Werner, C. Grüne, F. Stipansky.**

**Contributors**

Voigt, Fridericus Ernestus.  
Werner, E.  
Grüne, C.  
Stipansky, F.

**Publication/Creation**

Berlin : Brüsck, [1826]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/f3u4uzq2>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





EPB/B


5431/B



Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b29289099>







16814  
D E  
IUNIPERO SABINA.

---

DISSERTATIO  
*IN AUGURALIS MEDICA*

Q U A M  
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI  
UT SUMMI  
MEDICINAE ET CHIRURGIAE HONORES RITE  
SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVI.

H. L. Q. S.  
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR  
FRIDERICUS ERNESTUS VOIGT

ERFORDIENSIS.

---

OPPONENTIBUS:

E. WERNER, MED. DR.

C. GRÜNE, MED. DR.

F. STIPANSKY, MED. DD.

---

BEROLINI.  
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.



MONTEFIORE SABBIA

DISSECTATIO

IN ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA

DE ANATOMIA





V I R O

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIEN-

TISSIMO

J. B Ü T T N E R

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO-CHIRUR-  
GORUM EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUPREMO, IN-  
STITUTI FRIDERICO-GUILELMANI ET ACADEMIAE MEDICO-  
CHIRURGICAE DIRECTORI: ORDINIS REGII DE AQUILA  
RUBRA IN TERTIA CLASSE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE  
SECUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. VLADIMIRI,  
NEC NON ST. ANNAE, ORDINIS REGII SUECICI VASANI  
ORDINISQUE BELGICI LEONINI EQUITI AURATO ETC. ETC.

NEC NON



V I R O

CLARISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

G. K O T H E

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI IN LEGIONE DIMA-  
CHARUM PRAETORIA MEDICO SUPREMO.



FAUTORIBUS SUIS BENEVOLENTISSIMIS

TENUE HOC OPUSCULUM

PIA GRATAQUE MENTE

SUMMAQUE, QUA PAR EST, REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

## P r a e f a t i o.

---

Ti rocinium in rebus medicis positurus, quum per  
sat longum tempus, modo huc, modo illuc fluc-  
tuassem, nec certum capere consilium potuissem  
de quanam potissimum materia scriberem; tandem  
intellexi, talem esse eligendam, quae tironis in-  
genio aptissima videretur, et in qua experientia,  
artis medicae optima magistra, non plane desti-  
tuerer. Omnes enim nostrae artis partes a doc-  
tissimis viris ita perscrutatae et elaboratae sunt,  
ut tironi propria experientia destituto, in animum  
venire non possit, aliquid novi et non dicti pro-  
ferre velle; etenim jam Plautus inquit. „Nihil  
est jam dictum, quod non dictum sit prius.“  
Quamobrem, ut legi academicae quoque obedirem  
conatus sum, dispersas tantum et jam elaboratas  
res e libris peritissimorum virorum colligere et



componere, elaborandi inauguralis speciminis causa. In pluribus mihi arridentibus rebus, quarum in largo medicinae thesauro permultae sunt, tandem e familia coniferarum, Juniperum Sabinam elegi, utque jam a me dictum est, auctores, quos consulere mihi licuit, consului. Quamvis effati memor essem viri in arte medica excellentissimi „verba nulla de hac planta facienda esse“<sup>1)</sup> nequaquam tamen a meo proposito recessi, cum experientia docet, hanc plantam neutiquam esse tam noxiam quam Frank et alii contenderunt, et vim emmenagogam abortivamque hujus plantae, quam Frank praecipue timet, ei cum multis aliis communem esse.

Credens et spe fretus, nullum damnum inde exoriri posse, dissertatiunculam hancce lectori benevolo trado, adjectis precibus, ut ei indulgentiam ac benevolentiam largiatur. V. F.

---

1) System der medicinischen Polizei von Peter Frank. B. III. pag 95. §. 8.



## Historica quaedam.

Juniperum Sabinam vocamus arborem, quam graecorum antiquis jam notam fuisse, haud nescimus, sed fugit nos, an ea nomina, quibus antiquitas eam appellaret, nostram plantam stricte significant, nec ne; etenim, ut paucis dicam, nihil est incertius, quam plantarum vocolas in pristinorum auctorum voluminibus obvias, cuicunlibet recentiorum speciei adaptare velle, nihil haesitantius; ut multi jam naturae scrutatores in pendiscendis antiquis linguis summopere versati, frustra eam his difficillimis explicatu operam navarint. Juniperum Sabinam veteribus jam innotuisse, confirmat 1) Plinius et Dioscorides 2). Videtur quidem grajorum vox *Βεαδύρ* sive *βεαδύ* nostrae Sabinae convenire, neque *τῷ βαγαδῶ* ad significandam eam

1) Dioscoridis Oper. omn. Lib. I. Cap. 103.

2) C. Plinii secund. hist. nat. Lib. XXXVII. ed P. Miller. Lib. XXIV. Cap. XXXVI.



vix deesse, id quod nec Dioscorides 1) negat, et C. Bauhinus 2) confirmat; „sed versate diu, quid valeant humeri, quid ferre recusent,“ mihi impossibile est, hoc altius penitiusque perscrutari, atque obscuris hisce dubiisque necessariam lucem affundere.

Ad etymologiam me jam convertens, prius genericum, dein triviale habeo, quod exquiram, nomen. Genericum „Juniperus“ aliis aliter derivatur, alii putant, et in his C. Bauhinus 3) Juniperum hanc arborem dictam fuisse, quod juniores et novellos fructus pariat, antiquis maturescentibus, et solam fere arborum foetus suos in biennium prorogare; alii aliter de hujus nominis origine senserunt, quam philologiae cultoribus ulterius disquirendam relinquo. Triviale, quod attinet nomen, hoc ab Sabina gente, quae hanc Juniperi speciem in varium usum vocaret, manasse dicitur. Ad *Βαγανθρον* Dioscoridis 4) spectantes, quae vocula ipse duas hujus generis arbores appellatas voluit, illud, eodem monente, inde fortasse fluxisse invenimus, quod accensis inque fumum conversis earundem arborum foliis ad depellendos aeris

---

1) l. c. Lib. I. Cap. 104.

2) C. Bauhini Pinax. Lib. XII. Sec. V. p. 486.

3) l. c. pag. 488.

4) Dioscorides l. c.



noxios vapores eumque purificandum uteretur prisca aetas. Haec habui L. B. de etymologia, quae dicerem, oro autem vos leniter amiceque de me judicare, et omnia quae protuli, aequa ponderare lance. Propiora jam adeamus.

Auctorum nonnulli duas describant Sabinas, atque C. Bauhinus 1) alterum distinguit Tamarisci similem folio, alteram Cupressi, quam alii 2) triviali nomine creticam vocabant. Etiam Discorides 3) de duobus loquitur *βαλάντης* altero foliis Cupressum aequante, quod genus spinosius, graveolens, acre et ferventis naturae est, fuisse hoc videtur nostra Juniperus communis, id quod eo certius fit, si apud eum legimus, curtam esse hanc arborem, si huius folia ad suffiendum adhiberi asserit. Alterum nostrae S. similis, Myricam contendit aemulari, quod folia attineat. Nostra vero Juniperus Sabina esse illud videtur, de qua potissimum exposituri, primum animadvertamus oportebit, Raium 4) Cedro Goensi fructum Sabinae adscripsisse, contra quae C. Bauhinus: 5) „Differt, inquit, a Cedro, quod Sabinae

---

1) C. Bauhini Pinax l. c.

2) Rembertus Dodonaeus. de stir. hist. p. 262.

3) l. c.

4) Rajus hist. pl. 1926.

5) l. c.



odor gravis et Sabinae extremi rami in acuta folia definunt, et baccae minores sunt et nigrescunt, cum contrario Cedrus Iunipero odoratior sit, folia obtusiora, et baccae minores phoenicei coloris sint.“ Haec Bauhinus, Plinius 1), qui Sabinam non praetermisit, et, sicut Dioscorides, cuius e libris hauriebat, βαγιν seu βαγινθος appellavit „Sabinae, ait, herbam propagine seri et avulsione. Attamen verisimile est, hanc eum plantam cum Iunipero quocunque alio, Cedro, Cupresso, aliisque huiusmodi coniferis commutasse. Wedel, 2) qui multa de Sabina disseruit, et cuius scripta vix venalia adhuc prostant, τὸ θυόν Homeri nostram esse Sabinam contendit, tamen illa planta esse videtur, quae nostro tempore Thuia nominatur. Idem de mensis Citriis loquitur in singulari dissertatione, quibus a vulgo propriam vim tributam, et quas e Sabina recentiorum confectas esse, perhibet. De viribus S. varia exstat veterum opinio, ut Dioscorides 3) de duobus suis Βαγινθοῖς agens, haec dicat: „Utriusque (unam nempe, quod Cupresso simile, alterum, quod Myricae foliis hic intelligit) folia nomas compescunt, et phlegmones, adhibita mitigant, nigrities et sordes

---

1) l. c.

2) Wedel, de Thyo Homeri. Jena 1707.

3) l. c.



(an necrosi et cariei alludit?) cum melle inducta repurgant, carbunculosque rumpunt. Cum vino autem folia digesta vel cocta et epota, sanguinem per lotium educunt, et partus expellunt, id ipsum tum appositum, tum suffitum, praestant. Calefactoriis etiam unguentis, ac praesertim gleucino immiscentur. Plinius 1), de Iuniperi viribus et effectum quaedam protulit, quae et sigillatim ad Sabinam pertinere videntur. Dicit enim, omnes Iuniperos prae caeteris excalefacere atque extenuare corpora nostra, quod, ut ad cunctas Iuniperi species, ita etiam ad Sabinam pertinebit; dicit porro,“ duas esse Iuniperos, alteram maiorem, minorem alteram; utramque accensam serpentes fugare; utriusque ac semina et stomachi et pectoris et laterum doloribus adversari, inflationes algoresque auferre, tussim concoquere et durities; urinam ciere, atque ubi corpori illeveris, tumores dissolvere. De his omnibus fusius exponerem, si in promptu haberem, quibus carere non potest huius difficillimi negotii tantillus tiro; quum vero necessariis subsidiis destitutus sim, verbum non amplius addam; patescit ex his paucis, quid maiores nostri de Sabina iudicarint, quid auxilii in morbis de ea speraverint; ad cetera igitur procedam. —

---

1) l. c.



## Botanica Iuniperi Sabinae descriptio.

### Iuniperus.

(Raius S. meth. stirp. Britt. 444. Rupp. Flor. Ien. 526. Kram. Tent. bot. 147. Boerhave In. pl. h. L. B. T. II. 207. Lin. g. pl. n. 918. v. Royen. Fl. Leydi. 89. v. Hall. Fl. helv. 7. etc.)

Character genericus floris masculini:

Amentum s: strobilus squamosus, squamis decem unifloris. Corolla nulla.

Character genericus floris feminini:

Calix tripartitus, petala tria, styli tres, strobilus in galbulum sphaericum apice trifurcatum tripyrenum coalescens. Nucula s: bacca infera carnososa, trisperma.

### Character specificus Iunip. Sabinae.

1. S. foliis obtusis, oppositis, medio glandulosis, quadrifariam imbricatis, tenellis acutis oppositis, caule fruticoso. Wilde.

1. S. foliis oppositis erectis, decurrentibus, oppositionibus pyxidatis. Sp. pl. 1472. Gouan. h. monsp. n. 1228. Pall. itin. 3. p. 568. Lud. ect. 93. Kniph. Cent. 5. n. 46. Willdenow arb. 157. Linné Sp. ed. R. T. IV. p. 277.

1. S. foliis inferne adnatis, oppositionibus concatenatis. Hor. cliff. 464. Hor. ups. 299. Gme-



lin Fl. sibir. [P. I. p. 183. Blackw. Herb. n. 214.  
du Hamel. arb. Tom. II. Tab. 63.

I. S. foliis caule adpressis, lanceolatis caule  
coniugatis. v. Hall. fl. helv. p. 1662.

Mas, (Synon. Sabina mas Boerhavii, Hor. L.  
B. 2. p. 207. Sabina sterilis, I. Bauhin. hist. pl.  
1. p. 288. Sabina folio tamarisci Dioscoridis. C.  
Bauhin. Pin. 487. Sabina tamarisci similis, Da-  
leschamp. hist. pl.)

Calyx. Amentum conicum, constans rachi  
communi, cui tres flores oppositi, triplici appo-  
sitione opponuntur, terminante decimo amentum  
singulus flos pro basi agnoscit, squamam latam,  
brevem, incumbentem, pedicello columnae affixam.

Corolla, o

Stamina. Filamenta (in flosculo terminali tria  
subulata, inferne coalita in unum corpus; in flos-  
culis vero lateralibus vix manifesta. Antherae tres,  
distinctae in flosculo terminali, at squamae caly-  
cinae in lateribus adnatae. Pollen luteum, pul-  
verulentum.

Femina. (Synon. Sabina femina Boerh. l. c.  
Sabina baccifera 7. Bauhin. l. c. Sabina folio  
Cupressi C. Bauhin. l. c. et du Hamel. arb. 2. t.  
62. Sabin. Cupresso similis, Daleschamp. h. pl.  
p. 182. Sabina Dodonaei, Pempt. 854. Blackw.  
h. n. 214.)



Calyx. Perianthium tripartitum minimum, germinali adnatum, persistens.

Corolla. Petala tria, persistentia, rigida acuta.

Pistillum. Germen inferum. Styli tres simplices. Stigmata simplicia.

Pericarpium. Bacca carnosae, subrotunda, infera parte tribus oppositis tuberculis (e calyce accreto) apice tribus denticulis antea petalis, umbilicata, parvulis glandulis succulentis oblecta, plerumque exterius verrucosa et tuberculata.

Color baccarum ex bruno coeruleus est.

Semina. Ossicula duo vel tria, hinc convexa, inde angulata et oblonga.

Loca natalia. Sabina, Italiae, Hispaniae earumque regionum, quae ad auroram vergunt, silvestris est incola sempervirens, provenit praecipue in editioribus umbrosisque locis, et colitur apud nos, sed in hortis nostris frutex manet, et raro fructus maturat, ut a nonnullis sterilis dicta fuerit; calidiori sub coelo arborescit.

Floret Maio et Aprili, quo tempore etiam herba s. folia Sabin. colligenda est ad usum pharmaceuticum.

Hic duarum Sabin. varietatum mentio facienda erit ab auctoribus propositarum:

α. Junip. Sabinae lusitanicae, nonnullis etiam S. folio Cupressi nominatae, (Sabine a



feuille de Cypres). Folia obscure-viridiora, odore eorum non adeo fragrans, quam in *S. vulgari*.

β. *Iunip. Sabinae foliis variegatis.*

Quae arbor testante Roessig, antecedenti varietati propior esse videtur, quam *Iunipero Sabinae* communi.

Folia huius arboris, eandem habent indolem, cum varietate litter. α, proposita, attamen fines turionum tenellorum coloris luteo-albidi sunt, etiam teneris albidis striis distincta.

Inter feminam et marem huius arboris differentia nulla existit, praeterquam in floribus; etenim in fl. femin. pistilli conspiciuntur, deficientibus staminibus, in masculino vero stamina tantum, pistillis deficientibus; hinc liquet, non semper in uno eodemque flore esse, organa genitalia utriusque sexus. Sufficiat, quod in uno flore adsint, organa genitalia masculina, in altero feminina. Ubi igitur femina secreta a mare est, incassum floret, quum fructus absque mare et praegressa foecundatione prodire non potest.

Igitur generis secreti causa, merito haec arbor *Cl. Dioeciae*, *Ord. Monadelphiae Linn.* vel, secundum systema novum a Lüssieuo stabilitum, familiae naturali coniferarum adnumeratur.



## Principia s. Elementa chemica et Analysis chemica.

Vires Sabinae praecipue in herba s. foliis huius arboris sunt quaerendae, quae in medicum potissimum trahuntur usum. Semina autem s. baccae S. una cum eius ligno et cortice, nunquam a medicis adhiberi solent, ideoque nullum in re pharmaceutica obtinent locum, quamvis huius arboris baccis ut illis Iuniperi communis, perspicuus in corpus humanum effectus plane abiudicari non potest. Partes constitutivae remotae sunt eadem, ac in omnibus plantis, hydrogenium, carbogenium et oxygenium. Distincta huius herbae analysis in lucem non prodiit, attamen ex analysi a Bodesky 1) instituta, patescit, principium, cui imprimis S. efficacia adscribenda est, quodque sensus iam percipiunt, quum grave oleat, fragretque, ac saporem exhibeat resinosum haec herba, oleum esse aethereum ex viridi flavum ac fervidum, cuius quantitas, a variis viris varie destinata, maxima in foliis reperitur. Alia principia quae, quum leviores gignant effectus, haud adeo scimus insignia, in resina viridi, cuius quantitas nondum destinata est, in materia extractiva,

---

1) Heckers, Arzneimittellehre B. II. p. 113.



atque gummi in nostra planta cum oleo aethereo obviis consistunt. Si Hoffmann<sup>1)</sup> fides habenda, ex una huius herbae libra, tres olei aetherei uncias accipimus, quam tamen quantitatem alii aliter definiunt, ut Bodesky ex octo libris herbae unam tantummodo et dimidiam olei aetherei unciam ope destillationis secreverit. Errasse duo viri videntur, hicque procul dubio parvam nimis, ille nimis magnam hanc quantitatem vidit, id quod eo verisimilius est, ponderantibus nobis, et tempus, quo herba colligitur, et locum natalem, et tempestates, et rationem institutae destillationis, aliasque circumstantias in olei huius aetherei vel minorem vel maiorem praesentiam magnam vim exserere posse. Quod utrumque est, tamen inter omnes constat, Sabinam, ut Voigtel<sup>2)</sup> iam memoravit, prae aliis plantis maximam illius olei paene quantitatem continere. Testante Beaumé<sup>3)</sup> habent librae viginti tres foliorum Sabinæ, uncias duas et dimidiam olei aetherei, contra quae Bourguet<sup>4)</sup> contendit, ex duabus foliorum libris dimidiam unciam olei aetherei sibi venisse; quam

---

1) Hoffmann Obs. phys. chem. p. 8.

2) Voigtels, Arzeneimittellehre B. II. p. 278.

3) Dessen Chemie.

4) Dessen chem. Handwörterbuch fortges. von Richter B. III. p. 246.



Hagen 1) inde secrevit huius olei quantitatem, ea sine dubio permagna est, et quam Dehne, 2) hanc supra modum exiguam credo; quapropter eiusdem erroris accusandi sunt, ac viri, quos celebres supra iam nominavi: ex eodemque fonte hic error eorum manasse videtur. Berlisky 3) sententiam, quam iuxta una herbae libra unciam et unam olei aetherei continet, verisimillimam esse arbitror. Ceterum hoc Sabin. oleum aethereum ita se habet, ut omnia alia olea aetherea.

Infusum et decoctum aquosum hb. S. sicuti experimenta a Pfaff 4) et Berlisky 5) instituta docuerunt, coloris ex flavo fusci sunt, nonnullisque guttulis solutionis ferri sulphurici eis instillatis, ex obscuro viridia semet ostendunt, sparguntque odorem foliorum, ac subamaro sunt sapore. Ex una foliorum uncia duae parantur drachmae extracti viridis quod odoris vinosi, saporis aromatici, ac paululum adstringentis est. Extractum ope spiritus vini paratum constat tum e liquore oleoso flavescente, qui Sabinam redolet, et acri, aromatico subamaro sapore est; tum e substantia

---

1) Dessen Apothekerkuust.

2) Dehne in Crells chem. Journal B. III. p. 17.

3) Journal der Pharmacie v. Trommsdorf B. 8. St. 3.

4) Pfaff's Syst. d. Arzneimittell. B. 4. p. 312. p. 101.

5) l. c.



fusca, viscida, nigrescente, quae adstringentis principii pauxillum habet. Foliorum uncia una plerumque nobis largitur extracti spirituosi drachmam unam et dimidiam. Extractum aquosum a Berlisky paratum proprio narcotico odore, quo caret herba S. est conspicuum. Ipse hunc odorem nunquam percepi, quamquam multoties tentaverim, parare hoc aquosum extractum, quod experimentum facile sine magnis impensis institui potest. Partibus resinosis spiritu vini extractis, remanet massa extracti instar, alio, quo est Sab. odore, colore nigro, sapore nauseoso. Idem Berlisky, ubi duabus recentis herbae Sabinae libris octo aquae mensuras superfundebat, destillationis ope aquam aromaticam, et unam circiter dimidiamque unciam olei aetherei accipiebat. — Ex omnibus autem hujus viri experimentis sequitur:

I. Partes extractivas coctas atque digestas in sufficiente aquae quantitate omnino solvi, olei tamen aetherei et resinae parvam solummodo quantitatem hanc solutionem inire.

II. Infusum aquosum et spirituosum imprimis aethereas extrahere, atque, si huius herbae digestio in spiritu vini sive alcohole fiat, tunc resinosas magis partes secedere.

III. Herbae S. arefactae, partibusque inde oleosis paene orbae, et cum aqua coctae, extractivas magis inesse, atque gummosas partes resi-



namque propemodum tunc esse fugatam; recentem autem herbam ditiolem existere oleo aethereo.

IV. Particulas ex decocto solutione Kalina praecipitatas, facile quidem in spiritu vini, neque tamen in aqua dissolvi posse, atque e resina potissimum constare.

V. Herbam in alcohole digestam tincturam viridicantem, resinae, quae, affusa aqua, viridi distincto colore fundum vasis petat, divitem sistere.

Effectus igitur huius plantae maxime a partibus aethereis oleosis et resinosis dependere videtur; utrum vero, ut in aliis plantis, acidum proprium, (quod, cum Hoffmann magnam huic plantae adscribat antisepticam vim, adesse fere deberet,) an alia substantia peculiarem effectum gignat, non destinare audeo.

### Vires Iuniperi Sabinae.

Vires S. antiquitas multum tentaverat, variisque hanc herbam, media aetate oblivioni paene traditam, morbis apposuerat; donec nostris eam temporibus accuratiori submittebant examini, iterumque dignam autumabant, qua in morbis uterentur mortales. Quis etiam fragrantem expertus Sabinae odorem, eam oleo aethereo locupletissimam, insigni valere virtute dubitavit? Si iisdem haec arbor viribus pollet, quibus aliae eius fami-



liae inserendae, Iuniperus nempe communis, Taxus baccata, Pinus silvestris, Cedrus, Cupressus, Thuia, aliaeque, talia fere, ac illae nobis medicamina praebebit; sin minus, non intelligo, quid Linnaeus<sup>1)</sup> his sibi verbis voluerit;

„Plantae, quae genere conveniunt, etiam virtute conveniunt; quae ordine naturali continentur, etiam virtute propius accedunt; quaeque classe naturali congruunt, etiam viribus quodammodo congruunt.“

Constat igitur, Sabinam suis viribus alia medicamina irritantia aequiparare, excepta una virtute, quam abortivam vocant, quamque ei potissimum adscribendam esse, perhibent. Hanc, tam nostro quam antiquo aevo doctos occupare solitam, infra enucleabo, praemissis virtutibus, quas alias ei dederunt. Sunt autem, qui dicunt, has corrodescentes et exedentes tunc esse, ubi Sabinam in pulverem redactam, cuti apposueris, quod verum esse, experientia monstrat. Hinc factum est, ut ad destruendas verrucas syphiliticas, aliasque excrescentias adhiberetur. Multa et Angli de Sabina praedicarunt: se eam epispastici instar et vesicatorii in usum vocasse, ipsisque anteposuisse cantharidibus, si harum noxiam, quam uropoetico systemati afferre soleant, timuissent.

---

1) Fundament. botan. §. 337. Amstelod.



Homines vel animalia, large consumtis Sabinae foliis, mox sentiunt in ventriculo effectum, qui corrodendo hoc organum invadit, diras inflammationes, in gangraenam abeuntes, ipsamque mortem gignit, et venenorum corrodentium vim aequat.

Medicus quidam veterinarius 1) narrat, quatuor pullos equinos, Sabinae herbam pastos, post aliquot horas in stabulum venisse, pabuloque abhorruisse; iterumque praeterlapsis nonnullis horis, vehementi febre ac doloribus pertinacissimis correptos tumido atque dolente ventre laborare coepisse, usquedum sub noctem morerentur; totam autem, dissectis post mortem animalibus, tractus intestinorum superficiem inflammata, nigrisque maculis obsitam apparuisse, et devoratae herbae fereque crude unam partem in ventriculo secundo magno (Grasmagen) inventam esse.

Experimenta ab Orfila 2) instituta circa herbam S., eandem ejus vim irritantem, de qua locuti sumus, ostendunt. Nam ubi canibus sex drachmas pulveris herbae S. in ventriculum, duasque in vulnus experimenti causa factum conjiciebat, brevi tempore inflammationibus peribant; columbis, felibus caeter: minima ad perniciem quan-

---

1) Museum des Neuen und Wissenswürdigsten von Hermbstadt B. IV. H. I. p. 149.

2) Orfila's Toxicologie.



titas olei *S. aetherei* opus erat; nam cum unum circiter hujus olei scrupulum vel drachmam deglutivissent, tremore afficiebantur, narcosi, sopore, stupore, torpore, paralyti etc. et plerumque interibant. Ex his autem omnibus satis apparebit, quid valeat *Sabina* vi sua irritante corrodeuteque; ad alia igitur progrediar.

*Ramis I. S.* quia oleo aethereo abundant, utuntur, ut tineas, aliaque ejusmodi insecta a vestibis, libris et reliquis id genus suppellectilibus deterreant. Clysmata ex hac herba confecta, id agere feruntur, ut sopitos partus dolores resuscitent. 1) *Marryat* laudat *Sabinam* ob vim ejus fervidam, qua nixus, eam ad efficiendum artificiali modo praematurum, vel ad accelerandum naturalem partum adhibitam vult, atque tutum huicque negotio aptum in ea se invenisse pharmakon gloriatur: a qua ego opinione plane dissentio, quum huic methodo ancipiti et periculosae perniciēs subesse consueverit. Versus uteri morbos 2) pollere, dicitur, balneis injecta, vel in suffitus forma, nec non odontalgiam mitigare, herbae nicotianae immixta, cujus fumum ore trahunt aegri. Medici antiquiores aquae *S. destillatae* magnam vim carminativam atque anthelminthicam adtribuebant,

---

1) Loeseke's *Mater. medica* p. 139.

2) Loeseke l. c.



nec Boerhavi<sup>1)</sup>, illam suppressis haemorrhoidibus objicere, displicuit. In arte veterinaria, quae saepissime oleum S. adhibere solet, eo secundinas diutius remanentes expellunt atque solvunt, nec negant, vermibus eodem repugnari posse, partumque artificialem maturari. Non semper locum habere videtur, quod Renard<sup>2)</sup> se observasse dicit: Sabinam, quam in morbis imprimis ossium adhibuerimus, lotio aegri ab eo inde tempore, quo salus speranda, peculiarem et ingratum odorem impertire; multis nixus observationibus ei accedam; cum autem harum hanc in rem sit penuria, id omnino verum esse non potest, sed utique verum, urinae secretionem et organorum ei inservientium actionem, adhibita Sabina, augeri, imo interdum tantopere irritari, ut stranguria, mictus cruentus, inflammatio, gangraena etc. oriantur. Quem propter effectum ab illustrissimo Hufeland pro summo diuretico torpidis aegris commendatur, Succum ossium specifico modo a Sabina emendari, Hoffmann<sup>3)</sup> contendit, et quam vim antisepticam ei adscripsit hanc experimenta a Chavet<sup>4)</sup> instituta testantur, cum, eo docente, et

---

1) *Chemiae Fundamenta* Tom. II. p. 68.

2) *Hufelands Journ d. pr. Heilkunde* B. 10. H. I. p. 88.

3) *Hoffmann über den Scharbock* §. 278. Münster.

4) *Hoffmann l. c.*



chinam et rubiam tinctorum vi antiseptica valde superet, calamus vero ad eam propius accedat. Vis lithontriptica, qua valere dicebatur, et quapropter adhibebatur 1), prorsus ei deneganda est. Plures alii effectus, quos específicos ei tribuerunt, quosque modo laudarunt, modo contemserunt, ex jam nominatis deduci possunt, nec non ex morbis infra enumerandis, in quorum medela non modo antiquitas utebantur hac herba, sed etiam adhuc utuntur.

Vogt et Sundelin 2) de Sabinae effectibus disserentes haec statuunt.

Sabina, primo auctore, in balsamicis procul dubio summum occupat locum, et hoc in medicamine balsamica cum acribus conjuncta reperiuntur; duobus tanquam his classibus interponitur, si pharmacodynamicos ejus effectus spectas.

Omnium balsamicorum una est Sabina quae in metamorphosin vegetativi cujuscunque organi fortissime agit, et, aliis frustra in usum vocatis, necessariam procreat incitationem. Effectus acrobalsamicus, quo afficit systema lymphaticum et glandulosum, organa cutanea, tunicas mucosas et serosas, potest etiam, continuo porrecto medicamine, in salutem aegri fibrosas penetrare, ligamenta

---

1) Acta medic. Berolinens. Dec. I. Vol. 7. p. 42.

2) Deren Handbücher der Arzneimittellehre.



articularia, tendinum musculorumque vaginas, periosteum etc. Ante omnia autem vasorum, praecipue venosorum actionem promovet Sabina, sanguinis in iis circulum excitat, sanguinem ipsum attenuat, rubrumque ejus auget colorem<sup>1)</sup>, atque vehementes orgasmos et aestus ciet; ut immortalis jam Haller<sup>2)</sup> animadverterit, virginem quandam, consuuntis Sabinae foliis, in haemoptysin a sanguinis orgasmo coortam, incidisse. Frequentissime fit, ut post usum hujus medicamenti volumen hepatis augescat, bilis secretio exaltetur, hacque ratione stases et spissitudo sanguinis quaedam in systemate portarum obvii facile tollatur. Maximam tamen vim in uterum Sabina exserit; ejus enim torpiditati, atoniae et laxitati medendo, facile impellit sanguinis in eodem secretionem; quare ab antiquissimis inde temporibus vim illam emmenagogam, quam admodum timent, huic potissimum herbae adscripserunt, pellentibus frigidis, quibus Borax imprimis annumeratur, oppositae, suoquecum jure ad pellentia calida referendae. Quamvis nonnulli illam ejus vim comprobant<sup>3)</sup>, alii negant<sup>4)</sup>,

---

1) Freind. Emmenag. Op. I. p. 207.

2) Historia stirp. 2. 1662.

3) a. Mar. Herz, Briefe an Aerzte. B. 2. p. 156 seq.

b. Home clinical experiments. p. 419 seq.

4) a. Scopoli, Flor. carniolica. p. 404.

b. Selle, liber de cognosi. et curand. morb. h. p. 163.



tamen ejusmodi esse videtur, ut si strenue adhibueris Sabinam, semper fere in lucem prodire soleat.

In systema nervosum minime fere agere solet Sabina, et quem ei adfert effectum, semper secundarius est, nec hucusque satis notus. Similiter ac oleum terebinthinae, potentius tamen agit, sentiuntque hunc ejus effectum nervi praecipue, quos reproductioni scimus destinatos.

### De vi abortiva in specie.

De abortiva Sabinae vi necesse est, uberius disputemus, quia hanc potissimum huic plantae tribuerunt, multique nos inde auctores sollicitant, qui eandem aut negaverunt, aut affirmarunt. Haec autem vis in eo consistit, ut, quod nomen iam habet, abortum moveat, atque partem foetalem ab uterina seiungendo immaturum utero excutiat foetum, qui paulo post moritur, quoniam Vogtio <sup>1)</sup> docente, in apoplexiam incidit, ex praedominante in eo venositate derivandam. — Mihi interroganti, utrum omnino sint pharmaca, quae abortum ciere valeant, et, si sint, utrum Sabina praemultis suppeditet nobis ea, respondebitis, nec illud ex toto verum, nec hoc ex toto falsum esse, semperque dubitantem medium tenere debere.

---

1) Vogt's Pharmacodynamik B. II. p 115. §. 1892.



Alia autem, excepta Sabina, etiam pharmaca quibus foetum ex utero expellerent, priscis mortalibus fuisse in promptu, ex auctorum voluminibus patescit. Quid? quod Plato 1) et Aristoteles 2), qui in sapientia adeo claruerunt, diram hanc artem tantum abest, ut contemnant, ut potius probare eam videantur. Senecam 3) laudo, Iuvenalem 4) Ovidium 5), quibus displicuit terribilissimus hic mos. Primus vir, matrem Helviam propterea laude dignam censet, quia spretis, quae abortum adducerent, pharmacis semper ab ipsis pie abstinuerit. Quamquam autem uberrime loquuntur antiqui de foetu, quem immaturum impudica quaecunque puella utero suo expulerit et enecarit, nullam tamen medicaminis faciunt mentionem, quo illa usa sit, ut scopum semper assequeretur. Matres caeterum, qui tali crimine semet dehonestant, maiora sibi, quam foetui damna infligere solent, variaque nactae mala, in quibus eminet haemoptysis, cum aliis aegritudinibus, quas inferre Sabinae abusus consuevit, me-

---

1) De legibus lib. V.

2) Politic. lib. VII. c. 16.

3) Consolatio ad Helviam matrem c. 16.

4) Iuvenalis Satyr. 6. v. 500.

5) Amor. Eleg. Lib. II. 14.



ritas poenas luunt. Audite Nasonem 1), qui his distichis rem omnem complectitur;

„Quae prima instituit teneros convellere foetus,  
Malitia fuerat digna perire sua:

At tenerae faciant, sed non impune puellae;

Saepe suos utero, quae necat ipsa perit.“

Nonnullae et nostri aevi gentes hoc semet vitio polluant, ac haec earum culpa tam levis censetur, ut nunquam propterea in ius vocentur 2).

Quamquam mulieres, quae Sabinam assumerunt, saepius abortum experiebantur neque tamen ausim dicere, semper eum, adhibita S. herba, subque omnibus provocari circumstantiis. Fuerunt, enim medici, qui pluribus huiusmodi pharmacis abortum effici non potuisse, observarint. Considerandae hic sunt et constitutio corporis et dosis compositioque medicaminis, et multae aliae res, solitum pharmaci effectum saepe mutant; sic, ut e multis exemplis unum inducam, robustum beneque valentem hominem nullum ex quocunque medicamine, quod debili valde noceret, damnum sibi contrahere, saepissime experti sumus. Hinc

---

1) Lib. II. Amor. Eleg. XIV.

2) a. Morgenländische Reisen p. 750.

b. Relation du Canada par la Honton.

c. Discursus medicus, de abortu et medicamentis abortivis Amt. I. N. L. m. Dr. p. 43.



sequitur, ut modo sufficere queat Sabina ad foetum ex utero expellendum, modo frustra eam in finem adhibeatur. Alii aliter hac de re iudicarunt.

Galenus 1), Sabina, inquit, foetum etiam viventem interficit et mortuum eiicit. Notum erat quoque graecis, pharmacon sterilitatem gignens, quod ἀτοκίον vocant, quodque Sabina fuisse videtur.

Idem effectus, testante Dioscoride 2) suffitu et inunctione olei S. producit.

Alii quidem, ut Schroeter 3) Sabinam ad pharmaca abortum producentia referunt, sed hunc procreari in iis tantummodo contendunt puellis, quibus ad abortum sit dispositio. 4) Narratur 5) etiam, sex drachmas herbae S. in aqua coctae, foetum septemmestrem, quatuor vix praeterlapsis horis, fuisse expulsum. Abortivam porro Sabinæ vim Plenck 6) etiam et Loeseke 7) defen-

---

1) Galenus, Simpl. medicam. Lib. VI.

2) Dioscoridis Opera. Lib. I. c. 88.

3) Dessen Pharm. Lib. IV. p. 144.

4) a. Zittmann Med. forens. Centur. VI. Cap. 43.

b. Hasennest, medicin. Richter L. I. N. II.

5) a. Wedel. diss. de Sabina p. 23.

b. Gottl. Budaeus in Miscell. med. chirurg. pr. et forens. p. 31.

6) Anfangsgründe d. gerichtl. Arzneiwissensch. p. 101.

7) Dessen Materia medica s. Sabina.



dunt, ita tamen certam non esse, semperque dispositionem ad abortum praegredi oportere, fateantur. Eiusdem opinionis sunt alii auctores, quos lectu dignos infra nominavi. 1)

Quo facilius aboriantur sceleratae puellae, una cum herba S., drasticis utuntur, crebrisque venaesectionibus, atque haud raro accidit, ut, frequentes uteri pulmonumque haemorrhagias passae, exhaustis paene viribus, sanum tamen foetum in lucem edant. 2)

Quin experientia edoctus asserit Croan, 3) gravidis nonnunquam pharmaca drastica et fluxum menstruum moventia, inque his ipsum Sabinae oleum, quod tamen potentissime pellit, ulla sine noxa propinata esse, atque Rollfinckius 4) decoctum balneumque e Sabina itentidem adhibita, nullam foetui intulisse noxiam, imo, veluti observationes

- 
- 1) a. Büttner, Unterricht für Wundärzte. p. 205.  
b. Buchholtz, Beiträge zur gerichtl. Arzneiwissenschaft B. 2. p. 68.  
c. Jugler, Aufsätze medicin. Inhalts. p. 112.  
d. Ludwig, Medicina forens. p. 895.  
e. Metzger et Elsner med. gerichtl. Bibl. B. I. p. 29.  
f. Vogel, histor. nat. med. p. 49.
  - 2) Zittmann l. c. Cent. VI. Cas. X.
  - 3) Croan in Cand. Chirurg. p. 130.
  - 4) Rollfinck, Ord. method. com. L. q. S. g. c. l. p. 829.



Wedelii 1) docent, integras decocti herbae S. mensuras absque ullo effectu mulieres ebiberunt. Quare et Hallerus 2) affirmat, Sabinam minus valere ad enecandum et expellendum foetum quam alia sic dicta pharmaca abortiva. Omnia talia pharmaca incitantia et quasi specificè in uterum agentia abortum facere posse etiam saepe fecisse, (id quod ad Sabinam praecipue pertinet) testis est Metzger, qui tamen simul fatetur, saepe hoc a foeminis puellisque medicamentum frustra adhiberi atque adhibitum esse. Quamvis igitur negari non potest, Sabinam, suique similia pharmaca, quae fervida dicunt, abortum ciere posse et revera civisse, vitamque tam foetus, quam matris infestasse; abortum tamen semper, his adhibitis medicamentis, subque omnibus provocari conditionibus probari nequit, nullumque medicamentum abortivum strictiori sic dictum sensu adesse, iam Müller 3) contendit. Ita etiam foemina triginta annorum abortum meditando, infusum S. ingessit, unde insigni vomitu continuo cruciabatur. Aliquot post dies sensit diros dolores, tandem abortus successit, cum haemorrhagia uteri, dein mors. In cadavere vesicula fellea

---

1) Wedel l. c. p. 22.

2) Dessen Vorlesungen B. I. p. 146.

3) Entwurf einer gerichtl. Arzneiwissensch. B. I. §. 243.



rupta apparuit, cum effusione bilis in abdomen et inflammatione intestinorum 1). Mirum est, quod Zacutus Lusitanus 2) hac nobis de re narrat; drastica enim, venaesectiones sexies vel octies iteratas, unguenta irritantia in vaginam immissa, pessaria, longam abstinentiam, multaque alia ad excitandum abortum non suffecisse. Hinc patet, omnia medicamina abortiva, nisi dispositio adfuerit, foetus eiiciendo, ut supra iam indicavi, imparia esse.

Qui nihilominus dubitet, pluresque concupiscat observationes, quae quoties medicamina abortiva puellarum spem frustraverint, monstrant, scripta perlegat infra citata 3).

Ut nullum paene medicamen est, quod utique vel iuvat, vel nocet, utque huius efficacia in variis hominibus semper varia est, et a ratione, qua adhibetur medicamentum, a quantitate, qua assumitur, ab humanae denique naturae statu, ab

---

1) Mohrenheims Versuche Vol. II. p. 245.

2) Dessen Prax. med. admirand. Obs. 34.

3) a. Roose, Grundriss med. ger. Vorlesungen p. 180.

b. Jugler, kleine Aufsätze med. Inhalts p. 112.

c. Guarenoni Consultationes p. 636.

d. Sommer, Miscellan. Nat. Curios. Dec. I. Obs. 41.

e. Albrecht id. opus. Dec. I. Obs. 165.

f. Bartholinus, Miscell. Nat. Curios. Dec. I. Obs. 41.

g. Rajer Acta Acad. Nat. Curios. Vol. X. p. 293. Obs. 82.



innumerisque aliis dependet conditionibus, ita quoque Sabina medicamentum absolute (ut aiunt) abortivum non est, hoc enim nomine ea solummodo appellanda essent medicamina, quae semper ac tuto abortum facere valeant, quae vero sufficientibus docti causis existere negavimus, id, quod res habet dicturi: Sabinam scilicet sicut pharmacum aliud, imbecilli cuicunque gravidaeque foeminae large porrectam aliisve iunctam stimulantibus, interficere foetum atque expellere posse, quod tamen hucusque rarissime accidit, neutiquam vero pro eo abortivo esse habendam, quod in omni rerum natura nondum deteximus, nec unquam detecturi sumus.

### Sabinae usus in morbis.

Adhibetur autem Sabina tam in acutis quam in chronicis morbis; frequentius tamen in his, rarius in illis. Maximam, nisi quid obstat, salutem laxis, torpidis et phlegmaticis constitutionibus afferre consuevit, imprimis in iis, quos statu pituitoso laborare experti sumus.

Caute tamen adhibenda est in iis, qui congestionibus et inflammationibus obnoxii sunt, vel constitutione robusta, fibra rigida, et orgasmo sanguinis insignes. Plane abstinendum ab ea in graviditate, destructionibus organicis, intumescentiis viscerum, habitu phthisico et apoplectico.



Conducere solet aegris:

I. In morbis systematis vasorum, praesertim venosorum, ubi ex minuta torpidaque actione et tunicarum atonia, stases, obstructiones, retentionesque e. g. in cute, utero, tunicis serosis et fibrosis, in peristeo, visceribus etc. fere oriuntur.

II. In morbis systematis vegetativi et reproductionis, ubi cum secretionem resorbtio adaugenda, nobisque cum extravasationibus, et profecta inde perversa mixtione, quae in venosa praecipue systemate sedem habet, res est.

III. In morbis nervorum torpidis ac paralyticis, maxime in iis, quibus systema gangliorum, organis reproductivis dicatum, affectum est.

His enumeratis, in singulos descendamus morbos, dicturi, quibus Sabinae usus praecipue conveniat. Sunt autem:

1) Amenorrhoeae, Menostasiae, suppressionesque mensium, aliaeque id genus mala, quae, cum chlorosi, stasibus etc. conjuncta ex atonia praeprimis, laxitate et torpore partium genitalium originem ducunt. 1) His maxime adversari dicitur

---

1) a. Home l. c. p. 448.

b. Marcus Herz l. c.

c. Wedekind, Aufsätze über verschiedene wichtige Gegenstände der A. G. S. p. 278.

d. Ebenderselbe in Hufelands Journ. der pr. Heilk. B. X. St. 11. p. 66.



Sabina, quam tamen iis periculose administrabimus, quos synochicae indolis morbus seu sthenicus male habet. Facile enim (his in casibus) in perniciem laborantis haemorrhagias aliaque damna, hoc usi medicamine excitaremus. Cave etiam, ne Sabinam uterum gerere incipientibus porrigas; nam ita facillime apoplexiam foetus contraheres, quae ipsi, ni ante partum, peracto tamen eo, ut Vogtio 1) visum supervenerit. Ad pellendos menses S. tam extrinsecus, quam intrinsecus adhibetur; Rowley pediluvia ex ea parari, oleum autem ejus abdomini vel feminibus inungi jussit, hunc ut effectum impetraret; contra, quae, ut idem assequeretur, universalia alii ex eadem balnea conficienda atque adhibenda curarunt.

2) Dysmenorrhoeae; his malis se ea laudabiliter obluctatum fuisse Koppius contendit; magna autem hic cura, magna perseverentia, magna diligentia opus est; has enim aegritudines pertinacissimas esse, vobis persuadeatis. Proficiscuntur autem ex uteri atonia, ejusque minuta vitalitate, iisque adungi solet, et sterilitas, et amplexus venerei quoddam desiderium; aegrotae, ubi in propinquo est menstruorum fluxus, vehementibus doloribus colicis similibusque inter pariendum incommodis cor-

---

1) Vogt's Pharmacodynamik B.2. p.115. §. 1892.



ripiuntur, quam medici aegritudinem colicam menstrualement vocarunt, quamque Koppius nulli cessuram citius remedio, quam Sabinae decocto vel infuso, cui boracis paululum admisceatur, memoriae prodidit.

3) Multi puerperarum morbi. In his eam magno cum fructu adhibuerunt Wedekind<sup>1)</sup> Kopp et Bayler<sup>2)</sup>, quapropter et in intumescencia uteri ex frequenti abortu, vel partu exorta, et in lochiorum fluxu subito suppresso, et in haemorrhagiis ex atonia et torpore, ubi putridus fere sanguis ac mali odoris egeritur, et in leucorrhoea habituali maligna, cujus causa in utero ipso quaerenda, et in carcinomatosis hujus organi ulceribus magno esse usui Sabina solet, atque perinde fere est, externe sive interne aegrotae eam porrexeris.

4) Multa etiam Sabinae a Rave concessa est vis in arthritide atonica fixa, inveterata, in intumescentiis ossium, contractionibus, anchylosi a causa arthritica; neque minus in osteomalacia,<sup>3)</sup> quam e causa et ipsa arthritica manasse probabile est, salutiferam eam tulerunt plurimae observationes; nec Hufelandius<sup>4)</sup> ille, vir summae auctori-

---

1) Wedekind l. c.

2) Hufeland's Journal der pr. Heilk. B.9. St.1. p.123.

3) Hufeland's Journal der pr. Heilk. B.20. St.1. p.83.

4) Dessen Journal B.27. St.4. p.180.



tatis facere potuit, quin potissimum maximeque adversum vim ad curandam arthritidem in Sabina collocaret, hancque hac in aegritudine, tanquam specificam praedicaret, atque opinaretur, non satis adhibitum fuisse laudabile hocce remedium, quod in hydropibus atonicis, omnibusque morbis, ubi lotii secretio et excretio audaugenda foret, inque chlorosi atonica laborantibus, si, electa olei aetheri forma, ab una incipiens tres usque ejus guttas propinandas curaveris, magno esse emolumento, sibi visum sit.

5) Scorbutum hocce tollere remedio primum annexus est in nosodochio monasteriensi L. Hoffmann<sup>1)</sup>, cui tollendo ejusdem vel balnea vel cataplasmata paria fore monstravit; quamquam et Maximilianum Stoll<sup>2)</sup> eodem jam remedio eundem in morbum acriter pugnasse video; doleo interim, quod nullas observationes eruere possum, recentiori tempore institutas atque collectas, ut anticorbuticam Sabinae vim, quum hucusque dubiam credimus nec satis ventilatam, certam nobis tradant atque exploratam.

6) Antiqui jam medici, Hünnerwollfio<sup>3)</sup> auctore,

---

1) Hoffmann l. c. §. 292.

2) Stoll Pruelectiones p. 13.

3) Miscellan. Acad. Natur. Curios. Dec. 2. p. 146. Observatio 82. Anno 1788.



Sabina, quam paralyticis morbis a laesa alicujus organi reproductivi functione productis opponimus, ad sanandam paralytin, causae vel rheumaticae vel arthriticae originem debentem, usi sunt. Idem auctor gelatinosum hujus arboris fungulum, qui coelo humido progerminare solet, colligi et in aqua solutum paralyticae parti infriari jubet. Sed ullum citra dubium major in Sabinae spiritu et oleo vis, quam in hac gelatina.

7) De laudata a maioribus eius vi, qua asthmatibus, ictero, rhachitidi, exanthematibus, rheumatismo, odontalgiae, scabiei, herpeti, aliisque systematis vegetavi vitiis occurisse fertur, pauca duntaxat proferamus, cum experientiis nostra memoria id confirmantibus destituamur.

8) Decoctum foliorum S. si potari, vel contusam eius herbam oleumve aethereum ventri inungi iubes, vermes expelles, quos etiam uno succi illius herbae expressi cochleari, cui lactis pauxillum et sachari admistum sit, auxeris ac sollicitaveris 1). Attamen cum potiora habeamus anthelminthica, illis nostro aevo merito carebimus, si vermes expellendi nobis sunt. Vis lithontripticae plane Sabinam expertem esse, iam supra indigetavimus.

---

1) Rajus h. pl. l. c.



9) Extrinsecus adhibita Sabina his in morbis medentibus usui esse consuevit:

Pulvis inspersus et balnea ex ea confecta cariem ossium 1), spinam ventosam non venereum 2), necrosin, cerebrique fungum minuit, spissiusque eiusdem infusum exostosi utile se praestitit, id quod 3) Hoffmann haud semel expertus est. Neque parum confert ad sanandam gangraenam et ulcera chronica sordida, scorbutica purificanda 4): quibus in malis pulvis eligendus est, quem melle imbutum applicamus 5). Vogler 6) syphilitica faucium ulcera gargarismate e decocto S. facto, cui calamus iniiciatur, paululumque hydrarg. muritatici corrosivi admisceatur, luenda esse, praecipit. Ipsa cancrosa ulcera, quae S. pulvere conspergeret, medicasse semet Lieutaud 7) proposuit, unde etiam omnium animi suspicione tenebantur, celebratum illum pulverem, quem Guy in cancri perniciem paravit, Sabinam conti-

---

1) Hoffmann l. c. p. 426.

2) Werlhoff Op. e Wichmann p. 726.

3) l. c.

4) l. c.

5) Rajus l. c.

6) Vogler, Pharmaca selecta.

7) Lieutaud Mater. medica p. 232.



nere debere 1). Decoctum aceto confectum, multum valere in gangraena nosocomiali contendit Horn et Renard 2). Pulvis, quem in verrucis porrisve adhibes, vim cathaereticam, Alfonso Ferro 3) testante, manifestat. Quas verrucas syphiliticas tam pertinaces esse accepimus, ut adhibito ad ptyalismum usque hydrargyro ne evanescant quidem, imo argento nitrico extinctae mox reviviscant 4); omnino autem pulveri, nec, quod mirum est, decocto Sabinae cedant 5). Ubi induruerunt hae verrucae, humectandae sunt, antequam eas pulvere conspergas, ut adhaerescat; quem in finem pulvem ex cepis in oleo assatis laudant, cui ubi superdatur Sabinae pulvis, verrucae in mucum album mutatae facile radicitus delentur 6); neapolitano etiam unguento hic pulvis utiliter immiscetur, quo exceptus facilis est applicatu, impeditque, quominus verrucae s. condylo-

---

1) Dahlberg in f. litteris d. 17. Januar 1776.

2) a. Renard, über den Hospitalbrand. Mainz 1815. p. 17.

b. Horn, Erfahrung über die Heilung des Lazarethfieber u. s. w. p. 117.

3) De carunculo s. callo, quae cervici vesicae innascitur. Lion 1553. 3.

4) Dease, in Med. Commentar. T. I. p. 334.

5) Fabre, Traité de maladies veneriennes T. I. p. 361.

6) Gardinier in Girtanners Abh. von den venerischen Krankh. T. I. p. 337.



mata renascantur. 1) In syphiliticis nympharum verrucis nihil praestitit 2), condylomata autem circa anum obvia subinde delet 3); neque minus melli vel adipi immixtus, illas verrucas, prius abscissas, plane, ut Voigtel observavit, extinguere solet. 4) Cum Monasterii degebam, in nosocomio militari saepe mihi animadvertere contigit, quam vim moderante strenue artifice Dr. Wutzer, Sabina salutiferam ostenderet in condylomatibus praecipue ani curandis, hic enim doctissimus vir, quem praeceptorem habuisse gaudeo, unguentum Sabinae, resectis ante verrucis, imponi jussit, et malum atrox prorsus evanuit. In Brittania persaepe hoc unguentum, irritantis loco Ph. B. juxta, in usum vocari a medicis, jam alias monui.

### Formulae Sabinae medicae.

Formulae S. solitae sunt: pulvis S. conserva, extractum, decoctum, infusum, oleum coctum, infusum et aethereum, Tinctura simplex et composita, Tinctura kalino-sabinata, Spiritus, Elaeosa-

---

1) Lil, in den Sammlungen für pr. Aerzte B. LX. p. 9.

2) Ruhle, Beiträge über Gegenstände der Arzneikunde B. I. p. 47.

3) Bell, system of surgery. Vol. II. p. 266.

4) Dessen Arzneimittellehre B. 2. p. 282.



charum, Unguentum, Liquor mundificans Vogleri  
etc.

## A n t i d o t a.

Si quis nimiam Sabinae copiam devoravit, ita, ut venenatis illius nos terreat effectibus, statim, multo nondum ab illa inde calamitate praeterlapso tempore, emeticum assumat. Ubi autem tardius talem ad aegrum vocati, salutiferas illas horas, jam praeteriisse videmus, nec ulla spes est, vomitu ingestam Sabinam expelli posse; in sanguinis de- tractionibus tam universalibus quam topicis, in involventibus etiam, oleosis, mucilaginosiis, laxan- tibus, quae mitiora sunt, omnem miserrimi salu- tem collocabimus.

---



CURRICULUM VITAE  
EX DECRETO  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
BEROLINENSIS ADIECTUM.

---

Ego, Ernestus Friedericus Voigt, evangelicae religioni addictus, Ichtershusae prope Erfordiam anno millesimo octingentesimo secundo die sexto mensis Aprilis, patre carissimo, chirurgo forensi et matre optima e gente Gloeckeriana natus sum. Parentes tamen jam dudum praematura morte mihi ereptos esse, vehementissime doleo. Quibus mortuis Heliopolin urbem Palaeomarchiae, adhuc infans petii, et litterarum rudimentis instructus, gymnasium, quod ibi floret, ducibus Heinzelmann et Solbrig per sex annos frequentavi.

Anno millesimo octingentesimo vicesimo alumnus Academiae militaris medico-chirurgicae adscriptus, per triennium pro viribus meis disciplinis medicis studui, nec non per annum integrum chirurgi inferioris munere in nosocomio caritatis functus sum.



Interfui autem per studiorum meorum curriculum hic virorum Illustr. et Celeber., praelectionibus: Philosophicis a Cel. Wollf, physice, chemia et pharmacia a Cel. Turte imbutus sum. Interfui Ill. Knape osteologicis demonstrationibus; Ill. Rudolphi et Knape Anatomiam Encyclopaediam et Methodologiam, Splanchnologiam et Syndesmologiam, Ill. Link, Botanicen et Toxicologiam medocuit. Scholas physiologicas apud Cel. Koreff et Cel. Eck frequentavi. De medicina forensi atque arte formulas conscribendi medicas Ill. Knape, de materia medica Cel. Osann audiui. Pathologiam universalem, Semioticen therapiam tam generalem quam specialem Ill. C. W. Hufeland et Cel. Fr. Hufeland et Ill. Horn, doctrinam artis obstetriciae theoreticae et practicae Cel. Kluge mihi tradiderunt. In chirurgia, omnibusque hanc spectantibus disciplinis Ill. Graefe, Ill. Rust, Cel. Kluge et Cel. Iüngken, in morbis psychicis Cel. Neumann mihi duces fuere. Excercitationibus clinicis tum medicis tum chirurgicis Ill. Hufeland, Rust, Graefe et Neumann, interfui.

Quibus studiis absolutis, ut satisfacerem militiae, munus chirurgi militaris Monasterii suscepi. Inter quod tempus sub auspiciis Dr. Wutzer, in instituto ibi florente chirurgico, varias praelectiones ad medicinam pertinentes audire mihi licuit. Chemia, diaetetice Dr. Bodde, anatomia theore-



tica et arte cadavera rite secandi, chirurgia et aki-  
urgia Cel. Wutzer et Zumbrink me instituerunt.  
De botanice et historia naturali Dr. Roedig et  
Boeninghausen, de arte obstetricia Dr. Haindorf  
audivi. Explicationes librorum Celsi L. Waldeck,  
Psychologiam et logicen Cel. Esser frequentavi.  
Mense Augusti anni praeterlapsi Berolinum revo-  
catus et legioni equitum dimacharum adscriptus  
denuo ad hanc almam musarum sedem adspiravi,  
ut studia absolverem.

Tentamine et examine rigoro rite superatis  
nihil obfuturum spero, quominus, dissertatione  
conscripta atque defensa, summi in medicina et  
chirurgia honores per Decanum maxime spectabi-  
lem in me conferantur.

---



---

## THESES DEFENDENDAE.

---

### I.

Omnis ratio infibulandi veterum recentiorumque,  
manustuprationis causa, plane reiicienda est.

### II.

Compressio arteriae cruralis temporaria, ad provocandos menses, non sufficit.

### III.

Narcotica remedia in sanguiferum magis et primario agunt, quam in systema nervorum.

### IV.

Generatio unius, destructio alterius est.

### V.

Remedium sic dictum absolute abortivum in materia medica deest.

### VI.

Incisio fistularum ani in genere ligaturae praefenda est.

---



(194 Carl)



